

PARALIPOMENA

ACCVRATISSMA HISTORIAE
OMNIVM ANIMALIVM

Quæ in Voluminibus Aldrouandi desiderantur.

BARTHOLOMÆVS AMBROSIVS

in Patrio Bononiensi Archigymnasio
Simpl. Med. Professor Ordinarius,

Musæi Illustris. Senatus Bonon. necnon Horti publ.
Præfectus summo labore collegit.

MARCVS ANTONIVS BERNIA BIBLIOPOLA BONONIENSIS
proprijs sumptibus in lucem edidit.



BONONIÆ, Typis Nicolai Tebaldini 1642.
Superiorum Permissu.

Amplius aliud animal aquatile, & quadrupes non est omittendū, quod in vna Moluccarum insularum viuit, Camphurch vocatum, vt testatur Theuetus, referente Pareo. Hoc magnitudine Ceruum aequat, cornu gestat in fronte mobile, ferè instar cristæ galli indici, trium pedum longitudine, & aliquando ad crassitudinem humani brachij accedens. Cervicem pilis cinerei coloris habet te&am. Pedes posteriores anserinis habet similes, quibus ad nandum in aquis dulcibus, & salis vtitur. Pedes autem anteriores ceruinis sunt affines. Piscibus vicitat. Pleriq; sibi persuaserūt hoc animal Vnicornis esse speciem, & propterea cornu aduersus venena habere efficacē. Rex Insulæ, Theueto teste, huius Feræ nomine insigniri gloriatur.

Camphurch effigies.



PARALIPOMENA HISTORIAE omnium Quadrupedum.

DE MONOCEROTE.



*Canes cornu-
m ubi,*

*Fruſta Mo-
nocerotis va-
ria.*




IRCA formam huius animalis, Authores inter se ſententijs variant ut in Hiſtoria Solidipedum narratum fuit. Cum nonnulli hanc beſtiam ad genus quadrupedum Solidipedum, alij ad genus Biſulcorum, & demum alij ad genus Digitorum referant, nec mirandum eſt, quoniam alicubi canes cornutivi uere feruntur. Veruntamen ut plurimum inter quadrupedes Solidipedes recenſetur; ſiquidem teſtificantur, quod in Occidentali India Barbari Verapacis apud ſe magnum animal forma equi, craſſum cornu in fronte gerens verſari aſſerunt. Alij autem Authores alia tradunt; nihilominus adhuc non conſtat cuiusnam formæ conditionis, & prærogatiuæ ſit illud animal, quod per excellentiam Unicornè appellatur. Monſtrantur quidem à Circumforaneis cornua, & fruſta cornuum, quæ monocerotis eſſe feruntur; cum tamen quicquam certi non habeant, quo id probare poſſint. Nos pariter multas differentias huius cornu, quæ ad noſtras peruenerunt manus hic exhibemus delineatas. Primo loco figuratur Monoceros vulgaris, deinde monoceros alter, tertio, & quarto loco duæ aliæ differentiæ proponuntur, & poſtremo loco duæ differentiæ monocerotis ex terra effoſſi: nam quandoq; contingit, ut Cetacei piſces à mare in arenas pulſi obruantur, & poſt multos annos ex imis terræ viſceribus oſſa eruuntur cornuum ſimulacra referentia, & Circumforanei credulis Spectatoribus cornua monocerotis eſſe perſuadent. Qui plura ſcire cupit de hoc animali, adeat huius Hiſtoriam in Tomo quadrupedum Solidipedum,

1. Monoceros vulgaris.

2. Monoceros alter.

3. & 4. Monocerotis aliæ duæ differentiæ.


5. & 6. fruſta Monocerotis ex terra effoſſi.



Quapropter Nos in præsentia exhibemus iconē cornu Rhinocerotis quod aliquibus cornu Monocerotis appellatur. Pariter iconem cyathi ex cornu eiusdē Rhinocerotis, quod pariter pro cornu Monocerotis habetur.

Cornu

Cornu Rhinocerotis cum cyatho ex eodem.




DE ELEPHANTO



HOC animal dentium candore, & magnitudine est admirandum, & propterea ebur eius dens dicitur, quasi à barro, qua voce, Incolæ Elephatum appellant: quamvis postea solum ebur sit illa pars præcipua, quæ extra os animalis pro ninet, quod nos etiam docuit Plinius. Placuit igitur in præsentia icones horum dentium exprimere, posteaquam in Tomo solidipedum non fuerunt collocatæ, & primo loco damus dentes Elephantis superiores supinos, deinde eosdem dentes cum parte prona superioris maxillæ.

Den-


Dentes Elephantis superiores supini.



Dentes Elephantis cum base hinc et inde

Dentes Elephantis cum parte prona maxillæ superioris.

28



Anterior

E

DE TAURIS.




VNT quædam animalia bifulca, quæ ratione ætatis, & sexus, varia sortiuntur nomina: nam Bos in ætate iuniori constitutus, Vitulus, vel à viridi ætate, vel à vitulando, nempe lasciuiendo, vel à vita fuit vocatus, vt in propria Historia exaratur. quando autem ad ætatem adultâ peruenit, antequâ castratur, Taurus dicitur, veluti post castrationes Bos cognominatur. Item, ratione sexus, Bos femina, Vacca appellatur. Itaque hoc in loco nil aliud habemus, quod addamus nisi figuram dentis Vituli vnius mensis.

Nomina varia.

Præterea habent Indi animal, quod Tlachaxolotl indigitant, bestiam Tauro nõ valde abfimilem, sed aliquanto maiorem, capite magno, ricu oblongo, latis auribus, dētibus atrocibus, crasso collo, vngulis taurinis, sed maioribus, cauda crassa, & prolixa, pelle densa, cum pilis hispida. Animal est solitudinis incola, & edile. Vescitur montanis quibusdam herbis, vastatis passim campis, & satis, quibus deficientibus ad frondes arborum confugit. Humanum aspectum non reformidat, neque sagittis faciliè occumbit, quia tergus ferè habet impenetrabile. Quapropter defossa terra, & desuper ramis arborum tecta, faciliè capitur: quemadmodum elephas apud Indos decipitur.

Taurus Indicus.

Dentes Vituli vnius Mensis.



Pinna